



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De decretis & placitis primæ Institutiones, Perionio interprete.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)



D. IOAN. DAMASCENI, AD IOANNE M,
*sanctissimum Laodicensem Episcopum, de Decretis & placitis pri-
 mae Institutiones: Ioachimo Peronio Benedictino Cor-
 mariaceno interprete.*

*Hoc opusculum inter Dialecticam & Physicam idcirco interiecitimus, quod omni ferè ex parte ad dis-
 ferendi rationem pertineat.*

PATRIS, Filij, & Spiritus sancti nomine, quæ vna tribus G
 personis consistit, veneratione digna est diuinitas, quæ vnus
 eiusdemque naturæ est, vitæque principium trinitas, vnus Deus,
 à quo omne bonum quod datur, & omne donum perfectum
 de cælo ad nos mittitur, peccator ego & miser impeditæ tar-
 dæque linguæ homo, initium loquendi sumo: quod mihi tan-
 tum de eius humanitate persuadam, vt si ad dicendum ingre-
 diar, Spiritum sanctum, cum propter eorum qui hoc à me petiuerunt demissio-
 nem, tum propter audientium vtilitatem, mihi sapientem sermonem suppedita-
 turum esse confidam, qui & gratiæ est Dominus, & omnium bonorum custos,
 & Deus perpetua laude afficiendus in omnibus, Amen. H

De essentia, natura, & forma. Cap. I.

ESENTIA, natura, genus, & forma, vt sanctis Patribus placet, idè valè: &
 rursus *ὑπόστασις*, id est, quod per se cohæret: & *πρόσωπον*, id est, persona,
 figura, proprium, & indiuiduum, idem efficiunt: rursus differentia, qua-
 litas, *ἰδιότης*, id est proprietas, & *ἰδιώμα*, id est proprietas, vnum idemque de-
 clarant. De his atque aliis eiusdem generis, quæ à me infra dignitatem tuam
 abiectus quæsiuisti, nobis propositum est dicere. Hinc igitur ordiamur. Est
 quidem essentia natura & forma omnium præstantissima, ea quæ comprehen-
 di non potest diuinitas: hypostases autem & personæ, Pater, Filius, & Spiritus
 sanctus. Vnusquisque enim eorum perfecta est hypostasis, & perfecta per-
 sona. Est præterea in essentiis & naturis id omne quod Deus creauit. Sunt au-
 tem à Deo effecta permulta, eorumque magna est distinctio: aliud enim est an-
 gelus, aliud homo, aliud bos, aliud canis, aliud cælum, aliud terra, aliud ignis,
 aliud aër, aliud aqua. Atque vt verò vno finiam, eorum quæ in lucem edita
 sunt, genera sunt plura. Ac vnus cuiusque quidem speciei vna natura est: vt
 omnium angelorum vna est natura, & omnium hominum, & omnium bouum,
 itemque omnium eorum quæ creata sunt. Aliaque est angelorum, alia homi-
 num, alia bouum, reliquorumque natura. I

De hypostasi, persona, & indiuiduo. Cap. II.

QUONIAM autem multi sunt homines, vnusquisque homo est
 hypostasis, id est res per se constans. Vt Adam hypostasis est, &
 Eua alia hypostasis, itemque Seth alia hypostasis. Eadem est ratio
 cæterorum. Vnusquisque enim homo hypostasis est alia, alia reli-
 quorum hominum. Itemque singuli boues hypostases sunt, id est
 res singulæ, & singuli angeli. Itaque natura, essentia, & forma quiddam com-
 mune est, eaque omnia quæ eiusdem sunt essentiæ naturæque, complectitur. At
 hypostasis, indiuiduum, & persona quiddam speciale est, vt res singulæ quæ ea-
 dem specie continentur. K

De

A *De differentia, qualitate, & proprietate. Cap. III.*

MULTAS esse species, variâsque ac diuersas naturas diximus: itémque in vnaquaque essentia & specie diuersæ sunt hypostases. Itaque vnaquaque essentia ab alia essentia differt, & vnaquaque hypostasis ab alia hypostasi. Ac res quidem illa, qua natura à natura, species à specie, atque hypostasis ab hypostasi alia ab alia distat, tum differentia, tum qualitas, tum proprietas dicitur. Veluti quoniam inter angelum & hominem hoc interest, quòd ille immortalis est, mortalis homo: mortale & immortale differentia, qualitas, & proprietas est. Rursus quia Adam à Seth eo differt, quòd Adam non est genitus, Seth autem est: paternitas & *υπότις*, id est filij natura, quæ filiatio dicitur, sunt differentia: hoc enim Adam & Seth inter se differunt, quòd ille non est generatus, hic est. Omnia etiam eiusdem generis in differentiarum, qualitatum, & proprietatum numero habenda sunt, vt rationis particeps & rationis expers, mortale & immortale, bipes & quadrupes, sensus particeps & sensus expers, quod simum est & quod aquilinum, quod album est & quod nigrum, quod longum est & quod decurtatum, cæteraque generis eiusdem.

*De essentiali differentia, seu naturali differentia, & de accidente.*C *Cap. IIII.*

RES AVTEM omnis, qua species à specie differt, & essentia ab essentia, essentialis, naturalis, & speciei effectrix appellatur, tum differentia, tum qualitas, tum proprietas naturalis, proprietâsque natura. Vt angelus & homo inter se mortalitate & immortalitate differunt: ob eamque causam, immortalitas essentialis, naturalis, effectrixque est angeli differentia, & naturalis proprietas. Eodemque modo hominis differentia est mortalitas. Hoc etiam inter se homo & bos differunt, quòd homo rationis est particeps, bos autem expers eiusdem. Ita fit, vt rationis particeps hominis, rationis autem expers bouis sit, & essentialis, & effectrix differentia. Quod etiam de reliquis essentis, naturis atque formis iudicandum est eodem modo. Qua autem re hypostasis ab eiusdem speciei atque natura hypostasi differt, ea omnis & *επιουσιώδης*, id est, aduentitia differentia, & qualitas, & proprietas hypostatica, & proprietas characteristica, id est insignita dicitur, id est accidens. Vt inter vnum & alterum hominem hoc interest, quòd hic longus, ille breuis est: hic albus, ille ater: hic valet, ille ægrotat: hic pater est, ille filius: atque hæc omnia cæteraque eiusdem generis, aduentitiæ sunt differentia & qualitates hypostaticæ, atque characteristica proprietates, & assumptiæ, atque vno nomine omnes, quæ in omnibus hypostasibus, id est rebus singulis, quæ eidem speciei subiectæ sunt, æquè intelliguntur, & sine quibus essentia & species consistere nullo modo potest, essentialia differentia nominantur. Quæ autem in aliquibus eiusdem speciei hypostasibus, id est, rebus singulis reperiuntur, in aliquibus non reperiuntur, eæ assumptæ & aduentitiæ sunt habendæ.

De accidente separabili, & inseparabili. Cap. V.

ASSUMPTARUM autem alia à re separantur, alia non separantur. Non separantur eæ, quibus distat vna rerum singularum ab altera, ipsa autem à se nihil differt: veluti certus homo ab alio differt, quòd ipse est pressis naribus, ille autem aduncis: hic cæcis oculis, ille nigris: sed is à seipso non differt, propterea quòd is qui pressis est naribus, semper est: & qui aduncis est, eas semper obtinet: neque fieri potest, vt idem interdum sit pressis naribus, interdum adun-

Ecc ij

cis. Inseparabilia autem accidentia vocantur, quòd cùm semel in aliquo fuerint, F non iam diuelli seiungi que possunt, sed tamen accidentia sunt: quandoquidem fieri potest, vt non sit homo breuibus naribus, & narium aduncitate non sit praeditus, & tamen sit homo. Nam cùm non omnes homines pressis sint naribus, neque omnes aduncis, tamè omnes homines, quibus narium aduncitas data est, sunt homines: & omnes homines sunt rationis participes: non autem omnes rationis participes, homines sunt. Separabilia autem sunt, quæ ipse homo aut ipsa hypothesis, interdum habet, interdum non habet: vt ægrotare, valere, vt sedere & surgere, latari & dolere, & si qua sunt generis eiusdem.

De iis quæ sunt eiusdem essentia ac natura, atque diuersæ.

Cap. VI.

G

RAUTEM eiusdem essentia, natura, forma, speciei, & generis sunt, quæ eidem speciei, essentia que subiiciuntur: vt Petrus, Paulus, cæteri que homines singuli, omnesque boues, & canes, itémque reliqua omnia. Ea verò sunt diuersæ essentia, natura, forma & generis, quæ alij atque alij speciei subsunt, alij atque alij essentia: cuiusmodi sunt, homo, equus, bos, canis, cætera que generis eiusdem.

De genere, ac specie.

Cap. VII.

H

EMVS autem in species ac formas diuiditur: vt animal, vel rationis est particeps, vel eius expers: quorum animal genus est eius quod ratione utitur, & eius quod non utitur. Rationis autè particeps in mortalem hominem, & immortalem angelum: quorum particeps rationis genus est eius quod immortale: mortale autem & immortale, species sunt eius quod ratione utitur. Sed quòd planius fiat quod dixi, altius repetendum videtur. Genus summum, est primum genus, quòd ita genus est, vt non sit species, quòd superius genus non habeat. Species autem infima, est postrema & subiecta species, quæ sic est species, vt non sit genus, propterea quòd alias species non habeat, in quas diuidatur. Ea autem, quæ inter summum genus & infimas species locata sunt, generis ac speciei nominibus appellantur, ita tamen vt eorum sint genera quæ eis subiiciuntur, ac subsunt: species autem superiorum, quæ eadem *ἑπὶ μὲν* vocantur. Veluti essentia summum est genus: neque enim supra se aliud genus habet, ob eamque causam non est species. Hæc autem in corpus & in id quod corpore vacat, distribuitur: corpus in animatum & inanimatum: animatum in sentiens, & non sentiens: sentiens in id quod est rationis particeps, & rationis expers: quod rationis est particeps, in id quod mortale est, & quod immortale. Quod autem vacat corpore, id & rationis est particeps, & mortalitatis expers. Incorpoream autem appello hinc essentiam, vt animum, vt angelum, vt demonem. Horum enim vnumquodque species est infima. Corpus verò animatum sentiens, animal dicitur. Animal autem rationis particeps mortale, est homo, qui in specie infima numeratur. Animal porò rationis expers latrans, canis est, qui etiam infima est species. Præterea corpus animatum non sentiens, planta & stirps vocatur: corpus autem omnino animi expers, terra, aër, aqua, ignis, quorum vnumquodque species est infima. Quòd autem hæc planiora & clariora fiant, ita dicamus: Essentia modo quodam quàm sit essentia superiore, diuinitatem quæ increata est, complectitur: notitiâ autem, & complexu suo omnia ea continet quæ effecta sunt & creata. Genere autem summo continetur hæc corporis expers essentia, vt Deus, vt angelus, vt animus, vt demon: aut corpus animo carens, vt ignis, aër, aqua, terra: aut corpus quòd viger, vt vitis, palma, olea, quæque sunt eiusdem generis: aut corpus animatum sentiens, id est animal, vt equus, canis, elephas,

Aphas, & similia, aut quod concretum est ex corpore & animo, qui corpore caret, vt homo. Atque horum quidem essentia, quod prima est, & latissime manat, omniaque complectitur & continet, summum genus dicitur. Huius autem summi primique generis species sunt: primum id quod corpore vacat, & corpus inanimatum: deinde corpus quod augetur, quod animatum est & sentit, id est animal, quæ eadem & genera & species *ἰπάλληλα* dicuntur. Sunt enim essentia species, quod ex ea tanquam partes secuntur: eorum autem vnumquodque in duas species diuiditur, quas suo complexu continet, & quibus patet latius. Complectitur enim essentia corpore vacans, Deum, angelum, animum, dæmonem: corpus autem carens animo, terram, aquam, aërem, ignem: corpus autem augetur, vitem, oleam, palmam, & quæ sunt eiusdem generis: corpus verò animatum & sentiens siue animal, equum, bouem, canem, & quæ sunt similia: id autem quod ex corpore & animo, qui corporis est expers, constat, hominem comprehendit. Essentia porro quæ subiicitur (multa autem significat) est, vt Deus, vt angelus, cælum, terra, aqua, ignis, aër, animal rationis expers, volatile, vietum, lapis, homo, vita, possessio, patrimonium, diuitiæ. Ac hypostasis quidem est, indiuiduum, & persona, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Species autem, quæ illa complectitur, est, quæ & omnem superat essentiam, & comprehendi non potest, diuinitas. Hypostases sunt etiam Michaël, Gabriel, cæteri que singuli angeli: species autem eos complectens, angelica natura. Hypostases præterea sunt, Petrus, Paulus, Ioannes, ac reliqui singuli homines: quæ autem eos complexu suo continet species, est humana natura. Rursus hypostases sunt quidam & quidam equus, eosque vt species omnino equus complectitur. Præterea hypostases, id est res singulæ, sunt hæc & illa olea, quas vigens & vniuersa olea vt species complectitur. Intelligendum est igitur, ea quæ sola indiuidua continet, species infimas vocari: cuiusmodi est angelus, homo, equus, canis, olea, palma, & quæ sunt eiusdem generis: quæ autem solas species infimas complectuntur, vocari *ἰδίᾳ ἰπάλληλα*, id est, species subalternas, vt incorporeum, vt corpus quod animo caret, quod non est sentiens, quod viget, quod animatum est, quod sentit, animal quod rationis est particeps, quod eius expers est, quod mortale, & immortale, bipes, & quadrupes, quod graditur, & quod volat, & quæ sunt generis eiusdem. Ac quæ species quidem infimas complectuntur, ea sunt illarum genera, earumque effectrices differentia: quæ autem à summo genere continentur, essentia sunt species. Sed aliter etiam de iis dicendum est. Omnia quæ in Dei imperio facta sunt, vnius sunt generis: velut cum Deus imperauit, vt multa piscium genera existerent, omnia piscium genera vno genere continentur, vnaquæque autem piscium differentia species est. Rursum cum præcepit Deus, vt aquæ in lucem volucres eederent, & ortæ sunt multæ volucrum dissimilitudines, omnes aues vnum genus expleuerunt: vnaquæque autem volucrum differentia, illius generis auium est species. Eadem est ratio eorum quæ repunt, & pecudum, & ferarum, & herbarum, & leguminum, & arborum. Dicitur autem vnum etiam genus omnium animalium, vnumque genus stirpium, vnum eorum quæ animo carent omnino, neque vim habent augendi & alendi: rursus vnum genus eorum quæ non habent corpus, & vnum eorum quæ habet, dicitur. Quin etiam ea omnia, quæ creata sunt, vnum genus complent, multaque sunt rerum creaturarum genera, omniumque creaturarum differentia, & omnis essentia ac natura, vno genere continentur.

De actione.

Cap. VIII.



ACTIO est motus eius quod agit, cuius vis tota in faciendo est. Actio autem naturalis motus est naturæ, qui in faciendo versatur: vt mentis motus rationis particeps, motus animalis, motus sentiendi, alendi, augendi, gene-

Ecc iij

randi: itēque motus qui appetitus dicitur, id est motus corporis: præterea visio, F
 memoria, voluptatis & irarum motus, voluntas & appetitus animi, quæque sunt
 generis eiusdem. Hæc autē in quinque partes distributa est. In angelis enim, om-
 nibusque naturis incorporeis, quæ simplici impetu & concursu intelligunt, ea
 inest quæ intelligentia continetur: in hominibus autem, qui ex animo incorpo-
 reo & corpore constant, quique non simplici, sed vario ac multiplici cogitatio-
 ne efficiuntur. In animantibus verò rationis expertibus, quæ sensum habent, nec ra-
 tiocinantur, nec intelligunt, ea quæ vitalis vocatur: vegetantibus autem vis in iis in-
 est, quæ sensu illa quidem carent, sed tamen alendi, augendi, atque generandi fa-
 cultatibus sunt prædita. Ea autem quæ omninò vita caret, in terra & lapidibus, G
 qui nec alendi, nec augendi, nec generandi vim habent, * neque rursus aliqua a-
 lia, nisi statu participant.

* nec tamē
 naturalibus
 quibusdā
 actionibus
 carent.

De perpeffione.

Cap. IX.

PERPEFFIO, siue acceptio naturalis, motus est naturæ in eo quod
 patitur, in accipiendo positus, quæ naturæ est actio: eius autē in quod
 actio peruenit, perpeffio & acceptio: vt ortus, gaudium, ægritudo,
 angor, mœror, metus, pigritia, labor, somnus, voluptas, dolor, ira-
 cundia, cupiditas, abscissio, fluxus, interitus, quæque sunt eiusdem generis. Hæc &
 si qua sunt similia, naturalia sunt, nec dantur vitio aut crimini, quod non sint no- H
 stræ potestatis. Solum autem peccatum contra naturam est, animi perpeffio maxi-
 mē vituperandæ, eiusdemque interitus, nostræque voluntatis atque iudicij est.

De voluntate.

Cap. X.

VOLUNTAS est naturalis cum ratione, appetitio. Rursus voluntas
 est naturalis cum ratione atque libertate aliquid appetens mentis mo-
 tus. Ea enim quæ rationis expertia sunt, non sua sponte ac liberè du-
 cuntur ad concupiscendum: quippè quæ naturali desiderio suo mo-
 ueantur, nec rationem ducem habeant, ob eamque causam naturam I
 eius cupiditate victi ducem sequantur. Itaque statim impetu ad agendum ferun-
 tur, nisi quid impediatur. Quapropter non sunt sui iuris, & potestatis, sed libertatis
 expertia. Natura autem, quæ ratione utitur, naturali cupiditati tum succumbere
 potest, tum non succumbere, sed eam vincere. Idque declarat natura, quæ cum
 vitæ cupiditate per se ducatur, tamen rationi obtemperat. Multi enim rationem
 ducem secuti, summa voluntate ad mortem properauerunt, cibi que, somni atque
 reliquorum appetitionem, cum naturam rationis arbitrio subiecissent, nec ei pa-
 ruissent, neglexerunt. Vt igitur naturalis appetitio in omni natura sentiente inrita
 est, sic libertate omnis natura rationis particeps est prædita. Quod enim ratione
 utitur, id omne sui iudicij est, suæque potestatis, in eoque Dei imago sita est. Est
 ergo voluntas naturalis, libera appetendi vis & motio. Quæ autem volutati pro- K
 posita sunt ad appetendum, ea iudicij voluntates appetitionesque dicuntur. Nam
 cum animus sit liber, proprio iudicio ad eorum usum impellitur. Ea autem sunt,
 vt comedere & non comedere, * bibere & non bibere, ambulare & nonambu-
 lare, ducere vxorem & non ducere, itēque cætera eiusdem generis, quæ in no-
 bis sita sunt, quæ eadem in nostra sunt potestate, eorumque contraria.

* nō, &
 nō nō, in
 M. S. ha-
 betur, non
 videtur, ut in
 impresso.